



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro  
singulis Anni diebus**

Complectens Julium, Augustum, Septembrem

**Nepveu, François**

**Monachii, 1709**

Dies 9. De incertitudine salutis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60520](#)

DIES IX.

De Incertitudine Salutis.

*Incertitudo Salutis exigit, ut ad eam  
consequendam cum timore labore  
mus.*

I.

**C**um metu, & tremore, inquit Apostolus, salutem vestram operamini. Et vero quis non contremiscat, si cogitet, salutem esse negotium, maximi prorsus momenti, si cogitet, ejus difficultates esse plurimas, pericula certissima, successum incertissimum. Si negotium est maximi momenti, maximo studio opus est ad mala prævertenda. Si difficultates sunt tam multæ, magnis conatibus opus est ad eas superandas. Si pericula adeò certa sunt, opus est vigilantia, & præcautione continua ad se ab ijs defendendum; si successus tam incertus est, quæ media non adhibenda, ut salus in tuto collocetur? Et hoc medium solus timor Domini est, qui est initium sapientiae, & quo Propheta carnem tuam Configi desiderat. Quis hanc certitudinem, præter Domini timorem tribuere nobis potest?

*Psal. 118.  
v. 120.*

Q 3

II. Por-

September. II. Portamus, inquit idem Apostolus, thesaurum pretiosissimum in vasis fictili- bus, quæ facile franguntur. Thesaurus iste est anima nostra, sanè pretiosissimus, utpote ipsius Dei sanguine comparatus. Verum, quantumvis pretiosus sit, in vase tamen admodum fragili, corpore videlicet nostro, eum circumferimus. Si quis li- quorem pretiosissimum, è quo vitæ suæ pen- deret conservatio, portaret in phiala vitrea, eaque admodum fragili, videretque sibi ambulandum de nocte per vias asperas, & difficiles inter præcipitia, cum quanto me- tu, & præcautione non incederet, probè gnarus, plus non esse necessarium, quam vestigio falli, ut labatur, & omnia per- dat? hæc est nativa expressio statûs, in quo vivimus: cùm ergo in hoc statu simus, an non eodem modo timere, nobisque cavere debemus? an non securitas nostra hac in re vera temeritas est?

III. Salus nostra à Deo, & nobis penderet si è solo Deo penderet, in tuto foret, securosque nos credere possemus: sed, eheu! ea etiam à nobis pendet, nec esse in mani- bus deterioribus potest. Voluntas debili- lis, animus cæcus, cor corruptum, quæ vehementi in malum propensione, nec mi- nore horrore boni laborant, me ad salu-  
gem

tem consequendam non promovent, sed ab eadem magnopere impediunt. Ita <sup>Septembet.</sup> tamen nos comparati sumus. Ah! Domine, inquietabat Sanctus quidam vir, ne fidas mihi; ego me probè novi; certò enim te proderem: ne relinquas me mihi metipsi; habeo enim timendi causam, ne me ipsum in interitum præcipitem. Nemo adeò mihi formidandus est, ut ego ipse. Libera igitur me Domine, à meipso, nec trade me desiderijs cordis mei, & immoderatis meis propensionibus.

*Cùm in salutis negotio nihil tantopere metuendum sit, quam nihil metuere; semper metue; hoc est enim medium illam in tuto collocandi: sed metus iste talis sit, qui te humilem reddit, nec tamen turbet, qui pracautionem tuam excitet; sed non confidentiam tibi adimat.*

Cum metu, & tremore salutem vestram operamini. *Philipp. 2. 12.*

Timor est fundamentum salutis; timendo cavebimus, cavendo salvi erimus.  
*Tertull.*



Q 4

DIES